

VI *Wenceslaus* II vix octennis patrem amisit, datus in tutelam Ottoni Marchioni Brandenburgico.

VII *Wenceslaus* III vivo patre rex Hungariæ factus, successit defuncto ei in regno Bohæmiæ. Sed cum per ludum & ebrietatem vitam transigeret, Olomucii à sicario confossus periit, annum agens decimum octavum, anno Christi 1306.

VIII *Rudolphus* Austriacus Alberti Imperatoris filius, accepta Elisabetha Wenceslai vidua in uxorem, anno Christi 1307 electus est in Bohæmiæ regem contra Henricum, obiitque eodem anno in castris.

IX *Henricus* Tyrolis & Carinthiæ Princeps, factus est Bohæmiæ rex contra Rodolphum Alberti Imper. filium.

X *Ioannes* Lutzelburgicus Henrici VII Imp. filius Rex Bohæmiæ factus est anno 1310, pulso Henrico.

XI *Carolus*, ante Wenceslaus dictus, nomen illud accepit à Carolo Galliarum rege, apud quem fuit educatus. Hic anno Christi 1348 novam Pragam condidit, Academiam ad exemplum Parisiensis formavit.

XII *Wenceslaus* Caroli filius, Ioannis nepos, cognomentum Ignavi ex re habuit. fuit enim vecors & plane dissolutus, ob eamque causam imperio motus. Mortuus est Pragæ in mediis furoribus concitatae plebis Hussiticæ, correptus paralyfi anno vitæ 57, Christi 1419.

XIII *Sigismundus* fratri Wenceslao successus est primum in Imperio, postea etiam in regno, sed fratri dispar, Hungariæ quoque rex factus est. desit vivere anno 1437 septuagenarius.

XIV *Albertus* Austriacus post Lutzelburgicus rex Bohæmiæ factus est, ducta Elisabetha Imperatoris Sigismundi filia. Extinctus est anno 1439.

XV *Ladislavus* Alberti posthumus patri in regnis Bohæmiæ & Hungariæ successit, simul at-

que tutela egressus est anno 1453, permisitque suis civibus, ut sive sub una, sive sub utraque specie sacram cœnam fumerent, prout à Synodo Basiliensi fuit decretum. Extinctus est Pragæ in ipso nuptiarum apparatu, quæ cum Caroli Galliarum Regis filia adornabantur, anno ætatis 17, Christi 1428, non sine suspitione veneni.

XVI *Georgius Podiebracius* ob egregias virtutes, quas, dum minorennis adhuc esset Ladislavus, in gubernatione regni ostenderat, Rex factus, dignum se eo loco ostendit. Multa ipsi fuere cum Papa Eugenio certamina; Matthiam Corvinum, quem captivum tenebat, dimisit in regnum Hungariæ, data etiam ipsi filia sua Maria in conjugem, extinctus est hydrope anno 1471.

XVII *Georgio* statim successit *Vladislavus* Casimiri regis Poloniæ filius primogenitus. Obiit Buda anno 1516.

XVIII *Ludovicus* post patrem rex factus Bohæmiæ & Hungariæ infeliciter cum Solymanno ad Mohatium pugnans cecidit, anno Christi 1526, lapsus in paludem, & ab equo oppressus.

XIX *Ferdinandus* Austriæ Archidux, frater Caroli V, Imperatoris, obiit anno 1564.

XX *Maximilianus* vivo adhuc patre rex coronatus est Pragæ anno 1562, die 20 Septemb.

XXI *Rudolphus* vivente patre Maximiliano rex Bohæmiæ designatus & coronatus est. Obiit anno 1612.

XXII *Matthias* Rudolpho Imperatori fratri suo successit.

XXIII Post Matthiam ordines regni primò *Ferdinandum* II, deinde *Fredericum Palatinum* regem Bohæmiæ coronavere. Verum, bella ipsi movente Ferdinando Austriaco prædicto, pulsus regno Fredericus & mox Palatinatu quoque à Spinola exutus, in Hollandiam concessit.

XXIV *Ferdinandus* II Imperator obiit anno 1636.

XXV *Ferdinandus* III Imperator, Ferdinandi II filius hodie regnat.

